

Bibliothèque numérique

medic@

**Daquin, Pierre - candidat / Thuillier,
Mathieu - président. - Deceditne
aliquid Venustati diuturniore somno ?**

1673.

Paris

Cote : ms 2322 n°189



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax01x0189](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax01x0189)



QUÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
mane discutienda in Scholis Medicorum die Jovis 23. Martij.

M. MATTHÆO THUILLIER
Doctore Medico & Scholarum Professore, Præside.

Deceditne aliquid Venustati diuturniore somno.

I.

TRIA sunt corporis bona, Sanitas, Robur, Pulchritudo. Sanitas in bonâ partium similarium temperie, dissimilarium justâ & concinnâ coagmentatione, & utrarumque copulatione consistit. Perfectissimam valetudinem sequuntur Robur, Pulchritudo: Hæc enim est dispositio quædam ex optimâ corporis constitutione orta, sensui grata; quæ in muliere venustas, in virô dignitas dicitur: Nec enim fucatam & mangonum propriam quærimus, quæ peregrinis nugis & artificio omni adsciscitur; sed veram, germanam, quæ nativis exurgit coloribus, lineisque mirâ proportionem coalescentibus. Hæc non una eademque omnibus; Æthyopes vultus nigrorem, cum simis naribus; Persæ ejusdem albedinem, aduncum nasum commendant; quibusdam pallor ad decus conferre creditur. Ferè omnes eximiâ formâ fœminam putant, in quâ mixtæ candidiore, ac tenui rubore genæ nativum rosarum splendorem referunt; subtilia labra, tenuique interstitio distincta, genarum purpuram vincunt; dentium series ordinata niveum repræsentat colorem; nares paululûm inflexæ sunt; oculi magni, cærulei, flagrant, & puro lumine suffecti, quorum geminos orbes hispidus superciliorum coronat arcus; frons mediocris magnitudinis; menti, gutturis, colli habitioris lactea cutis, quæ propius inspecta juvenil

rubore suffunditur; aptus denique reliquarum partium com-
mensus. An ad pulchritudinem corporis proceritas requiritur?

II.

PULCRITUDO perfectio quædam est, cui ex minimò defectu labes inuritur. Si eam conservandam suscipis, si Pulchritudinis autumnum pulchrum præstare cogitas, fugacem retine, nè ejus gratia temporis lapsu præproperè deflorescat. Quibus tandem artibus? mediocrem corporis habitudinem conservando cum coloris suavitate conjunctam; cavendo fædos colores qui faciem deturpent, maciem larvalem, nimiam pinguedinis molem, athletarum habitum, qui ut sanorum, sic & formosorum numerò eximuntur. Vitium omne vitabitur sanguine tum quantitate, tum qualitate laudabili, excrementorum absentia. Sanguis in corpus omne digestus, nativi caloris intertrimentis reparandis par *διαφύλαξ* suggeret; tenuis, purus, calidus, *σχημα* cuti, præcipuè faciei, quæ subtilior est, conciliabit, ex illius nativo candore, & subjecti cruoris rubore simul commixtis genitam, præsertim si omnis generis supervacanea rite eliminantur; alioquin erit vultus veluti nitentis, crasso oletò in intestinis diutius morante; utrâque bile suppressâ icterò turpi fœdabitur; serò subsistente pallescit; halituosò vapore intus cohibito erit subtumidus, & *ἐφθόγηται* præ se feret. Probi igitur, & cum dignitate munus suum obeuntis erit Medici, fœminis, quibus cura sui cultûs eripi non potest, eas artes præscribere, quibus alimentorum probè concoctorum distributio, excrementorum exclusio promoveantur. Ad hæc somnum longiorem conferre asseret nemo, qui vel à limine Medicinam salutaverit.

III.

CUM fieri non possit ut perpetua sit sensus agitatio, propter nimium spirituum exhaustum, cuicumque sensus inest, eidem & somnum inesse necessum est. Hic non unius cujuscumque privati sensus affectio est, sed communis & principis, ad cujus vacationem sequitur cessatio incitationis, & motionis aliorum sensuum: Scilicet ubi primum sentiendi instrumentum, nempe cerebrum, spiritibus propè defectum est, nullosque vel paucissimos ad sensuum officinas valet transmittere, confidentibus nervorum fibris, cerebri aditû prohibentur objectorum species,

somnusque obrepit, in quò sensus omnes vacationem quandam obtinent cunctis animantibus concessam, ad quietem & incolumitatem. Quocircà inanitio & defatigatio somni naturalis causa est; ac proindè vigiliis & multâ exercitatione fessos arctior solito somnus complectitur: Non naturalis censendus est qui oppletò fit cerebrò, vèl halituosò quòdam vapore vèl humore copiosò, quò non solum primus sensus offunditur, sed & aliæ Facultates consopitæ jacent. Qui absolutâ concoctione protrahitur, quamvis solutu facilis, longior est; tuncque non est amplius quies lassæ, sed sepultura corporis suffocati; non reparatio, sed spiritûs propemodum extinctio. Quid ita? nimirum quia post confectum alimentum calor nativus torpescit, ejusque contentio exoluitur, nisi motum ad partes externas fieri solitum repetat.

IV.

SOMNUS diuturnior non solum calorem nativum immittit, à quò infelicio deinceps expectanda concoctio, sed etiã succorum ad alendum necessariorum distributionem, excrementorum corpori noxiorum expulsionem remoratur. His quippè sentiendi movendique vires in subsidium venire & opem ferre solitæ tunc temporis feriantur: Ipsæque corporis contenta nullò motu concitata minùs expeditè trahenti, pellentique cedunt. Quid indè? depravata nutritio, cachexia, purpureò sanguinis honore fœdatò perit roseus cutis color, facies evadit flava, lurida, pallida, mortuorum haud dissimilis, aut saltèr velut per horas umbris territa larvalibus; impetu factò noxijs humores effrænati omnes corporis partes invadunt. Lumina ferè carent lumine, quæ, stygiæ vice paludis, volvunt lachrymas per tenebras. Nasus mucò plurimò obsitus angustatur olfactui. Osest labris plumbeum, gingivis purulentum, dentibus buxum, quod spurcat frequenter exhalatus è concavo molarium computrescentium mephitis odor. Taceo quod decedit honor humeris, decor brachiis, robur lacertis. Animalia quæ conviviis comparantur ut facillè pinguescant, immota in obscurò continentur. Quarumdam fœminarum, quæ se tenebris dicaverunt, & sinè ulla exercitatione jacent, tumor pigrum corpus invadat, & iners sagina succrescat, fœdæ tamèn videbuntur; quippe non speciosior illis, quam morbo pallentibus, color est, languidæ & evanidæ albescent, & in vivis caro morticina est.

VIS pulchra videri, vis pubertatem diù servare, & splendere etià tempore alienò, somno adhibeas modum, eum nocturnò tempore capias, diurnò vigiles; nec lucis noctisque pervertas officia. Hæc si longior est, aliquid ex eâ in diem transferatur. Quid juvat ad formæ elegantiam altrò Sole semisomnem jacere, medio die vigiliam incipere, qui & multis tempus est Antelucanum? Quid juvat diem totam stertere, & ad faces & cereos vivere? Non oportet somnum refectiōi necessarium, plenam esse corporis solutionem, sed tantum remissionem; alioquin iners calor, spiritus ignavi ad omnes naturæ functiones segniores evadunt; corpus universum languidum, molle, infirmumque redditur: Hinc cruditates, obstructions, & excrementorum proventus, quæ omnis generis morborum causæ sunt proximæ; cum quibûs quomodo coherere possit venustas non video. Hinc mulieribus quamplurimis unum est institutum, una cura corpus excolere, ac longâ formam quærere desidiâ, dùm de singulis capillis in consilium itur, ne quis extrâ ordinem jaceat, dùm in orbem & annulos volvuntur, dùm aut disjecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque inde in frontem compellitur. His accedunt Pictorum artes & præstigiæ, ut insidiosis coloribus pulchritudinem mentiendo aliquandiù spectantium oculos fallant. Quare suus fuit, eritque honos cerussæ, crocodilæ, hydrargyro variè coacto, purpurissò, rubricæ, radici anchusæ, fucò agresti, terræ argentariæ, cocco, purpuræ, ostro, quorum vel similium pulveres oleò odoratò permixtos, detergæ prius faciei illinunt, & fucum facientes deformitatem abscondunt, quam possent emendare moderatâ vigiliâ, quæ calorem partibus intimis quasi sopitum & torpescentem excitando, foras evocando, diffundendo, alimenti distributionem, excrementorum, omniumque supervacaneorum expulsionem juvaret, à quibus pendet vera & germana, nec indigna Medici curâ Pulchritudo.

Ergo decedit aliquid Venustati diuturniore somno.

Asserebat Lutetiæ PETRUS D'AQUIN,
Parisiensis. A. R. S. H. MDCLXXIII.